



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ineunte anno octavo Pontificatûs Alexandri VII. P. M.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

*Ineunte anno octavo Pontificatus*

ALEXANDRI VII. P. M.

**H**ÆC & ALEXANDRUM populis dare jura coëgit,  
 Et Christi infandam lux fuit ausa necem.  
 Quid faciam? sequar hunc lacrimis & carmine tristi?  
 Illius an fortem, gaudia nostra, canam?  
 Flere juvat. Fletu munus solvemus utrumque.  
 Utraque res mœstum postulat officium.  
 Nam tot ALEXANDER spinis inamabile Regnum  
 Dum subit ut reparet, scandit & ipse Crucem.

IN OBITUM

JOANNIS RHO S. J.

*eruditione & eloquentiâ sacrâ clarissimi.*

**L**Ugeat ereptum passo te Roma capillo,  
 Ereptum atratis lugeat Arnus aquis.  
 Nec parcat lacrimis viduata Insubria tanto  
 Lumine, nec linguâ Relligio orba suâ.  
 Dumque dat illustri flores gens Itala busto,  
 Assonet inferiis Tethys utroque mari.  
 Publicus at postquam fatiarit lumina luctus,  
 In laudes animum vertat & ora tuas.  
 Par siquidem est, si te cuncti siluere loquente,  
 Te cuncti incipient, Rhoë silente, loqui.